

nent Ordinationes Processus. In his omnibus præclaræ sunt meditationes *Octavii Pisani* in *Lycurgo*, qui docuit, quomodo formatâ conversatione & educatione in ipsa radice possint evelli scelera ; & quomodo si omnia coram Magistratu autoritate publicâ gerantur consignenturque libris publicis, ut *Venetiis* in *Banco*, possint evitari Processus. Sed huc perfectionis non veniemus, det tamen *Jurisconsultus* operam, ut ad eam quantum potest, accedat.

§. 75. Hactenus diximus de principiis decidendi, dicamus nunc de *Collectione Decisionum* seu *Controversiarum*. Ubi facilius res dictu est, quàm in *Exegetica*, sed difficilius factu. Nam non tam multa puncta sunt, nec tam multi conficiendi libri, sed quò pauciores, tantò grandiores. *Collectio Controversiarum* est vel *brevis*, vel *diffusa*. *Collectio brevis*, videamus quomodo fieri debeat, & quomodo facta sit. Fieri debet libro, qui vocari potest *Breviarium*.